

bene sperare de altero, adeò coniuncta cum charitate sunt, vt vbi hæc nõ sunt, ibi esse charitas non possit: non magis quàm ignis, vbi non fit calor. Proinde cum charitatem à nobis exigat Deus, & hæc profectò vnà vult, quæ separari à charitate nequeunt: non sanè, quin verissimum illud sit quod dicunt quidam: *Si minus sæpè errare volueris, quod deterius sit de quocunque semper cogitato: quippe cum optimè cõueniat verbo illi, Non est qui bene faciat, ne vnus quidem; alijsque similibus: Sed ideo nobis hac charitatis cæcitate opus est: quòd egerimè inducere suam in animum possit quispiam in eum vllum conferre beneficium, aut eum amore prosequi, de quo haud benè sentiat. At verò si curiosius lucerna adhibita velimus in alterius quisque vitam inquirere, tandem quales sumus, inueniemur omnes: vt eiusdem videamur farinae, quorum videlicet præstantissima quæque opera, (vt inquit) cum immundissimo mulieris conferrì panno possint, quæ consuetum patiatur profluuium.*

Psal. 13.

*Impium est  
de proximo  
malè sentire.*

Cap. 64.

Cumq; suis culpis extenuandis nemo non clementissimum agat, indulgentissimumq; iudicem: alienis autem iudicandis plus satis simus seueri omnes, nihil erit quod conciliare alterum alteri possit. Ad odia verò occasio nusquam deerit. Sed cum velit Deus bonitatem nostram suæ esse similem, qui solem illucescere faciat bonis pariter ac malis: & quan-